

Me jussit, cuius ratio exponenda, priusquam
 Ingressus pleno dem vela tumentia Nereo.
 Non mihi cōsiliū est, scelerum foedissima quaeque
 Elatrare palam, aut saevum intorquere flagellum,
 Deque Numae populo quemquam arripuisse viritum 55
 Lucili ritu. Turpe et pariter facile hoc est.
 Praeterea vetus haec nimium, cantataque pridem
 Omnibus et lippis nota et tonsoribus usque est
 Fabula, quis viduam praegnanteū fecerit heros,
 Quique fuit moechus post Stoica verba Sophistes, 60
 Cetera de genere hoc seges est ditissima, semper
 In promptu, solum messoris et indiga falcis.
 An populo misso proceres mordere, patresque
 Romanos suades? Igitur Praetoribus audax 65
 Insiliam, atque triumphalem deponere laurum,
 Et se a criminib[us] jubeam purgare patratis,
 Confisus pedibus senis, et vindice Phoebo?
 Hoc ego non faciam sanus: quamvis neque durum hoc,
 Nec sit difficile. Atqui quod caput omne, reique 70
 Totius est summa, hac re nil minus utile. Nulla
 Notior in vulgus manavit fabula, quam Argis,
 Persepoli, Romae, Thebis, Lacedaemone, Athenis
 Persimiles proceres compto esse novoque libello,
 Cui titulus minio est et pumice mundus et auro: 75
 Quem si introspicias penitusque evolvere pergas,
 Invenies priscis deplorata illa tragedis,
 Concubitum Oedipodis, mensas irasque Thyestae,
 Unum et idem patres peccant, populusque Quirini,
 Nonne haec Lucili post carmina prima poetæ 80